



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

Soto, Domingo de

Venetiis, 1608

4 An accusator qui in probatione defecerit, pœna talionis teneatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38878

caussa cum reo colludat, præuaricator est. Pariter ad tertium respondetur, quod tergiversari non semper est crimen, sed tunc prorsus, quando accusator tenetur in accusatione persistere. Quare tribus modis tergiversari circa culpam accidere potest. Primo cum quis in causa propria accusavit. Tunc enim sicut libere accusationem inscripsit, ita potest & quando libuerit illam desistere. Secundo: Quando accusavit in causa publica, leuiter tamen, tunc enim quoties timuerit in probatione desistere, potest cum reo conuenire, & ab accusatione desistere. Et hic est casus disti cap. Si quem poenituerit. Tertio: Auctoritate principis, qui propter illustrem personæ dignitatem, & reipublicæ utilitatem, potest accusationem, & in initio reuocare, & in processu aboleri, vt eodem cap. subiungitur.

ARTICVLVS IIII

Verum accusator, qui in probatione desecerit pena talionis tenetur.

Quartum quod de accusatore disputandum restat est verum in probatione desiciens pena talionis tenetur argui a parte neganda. Contingit aliquando iusto errore quempiam ad crimen falsum accusandum prodire, cui ideo Fabianus Pa. a. 2. quæst. 3. ca. Si quis iratus, veniam concedit, non ergo omnis calumniator dignus est talionis poena. Secundo: Si talis poena iusta est, ob id iuste instigatur, quod accusator: damnum per iniuriam alteri intenciat, igitur aut hoc est propter iniuriam reo illatam, & tunc non potest princeps eum remittere, aut propter illam que reipublicæ irrogatur, & tunc nequit eam remittere reus, potest autem eam vterque remittere, ergo signari non potest iniuria, ob quam talis statuatur poena. Tertio: Ob vnam culpam nemo potest extendi ad duplicem poenam, secundum illud Nat. 1. Non iudicabit Deus bis in idipsum, calumniatores autem infames habentur iure, vt patet. 2. q. 3. can. si quis circa non ergo debent alterom subire supplicium. Sed in contrarium est Damasi decretum 2. q. 3. Calumniator si in probatione desecerit, talionem recipit. Et alterum prosumus Adriani. Qui non probauerit quod

obicit, poenam quam ipse intulit patiatur. Pro solutione quæstionis notandum quod talio a tale dictum est, scilicet vt quis que tale patiatur quale alteri contra ius, moliebatur. Id quod Aristoteles. Ethicorum capite 5. repassum appellat, secundum illud Radamanthi.

Si quis fecit patiatur & ipse.

Rectum fuerit iudicium. Statuitur ergo conclusio affirmatiua. Iustum est vt ille qui per accusationem in periculum, quempiam induxit grauis poenæ, similem & ipse ferat. Conclusio est non solum canonici iuris locis citatis, verum ciuilibus, vt patet ff. ad senatusconsultum Turpil. l. mulier, & l. quæsitum. Cum ergo leges deficientem in probatione talionis poenæ adiudicant, ostenditur non solum eum qui falsum crimen imponit, verum & qui occultum quod probari non potest detegit, eidem subiaccere supplicio. Ratio naturalis est hæc. Accusator constituitur pars reo aduersa, contendens eum in supplicium adigere, index autem medius, inter ambos sedet iustitiæ protector, sed æqualitas iustitiæ id exigere apparet, vt periculum quod quis alteri per iniuriam creat, in ipsum recidat, ergo poena talionis est iusta. Eadem conclusio confirmatur. Nam lege veteri, quæ iustissima erat, eadem poena stat scripta, scilicet Exod. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et Deuter. 19. Cum diligentissime perscrutantes inuenierint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Hæc tamen hinc inferitur, vt quidam arbitrantur, illam poenam esse modo de iure diuino, illa namque non erat moralis de iure naturæ, sed tantum iudicialis, quæ ideo prorsus cessauit. Non quod Christus legem illam Matth. 5. peculiariter abolerit, illic enim tantum retulit veterem legem consulens nobis contra ne nos vindicemus, sed inimicis remitteremus iniurias, at quod tota lex illa vetus cessauit. Nisi quod præcepta moralia, quæ erant de lege naturæ, confirmata sunt lege angelica, ceremonialia vero sic cessarunt, vt tanquam signa iam modo falsa insitui denno non possint, iudicialia vero possunt quidem, si iustum censetur, iterato constitui. Attamen lex talionis semper fuit vt crux duraque existimata, sed propter duritiem illius,

Talio unde tria hat originem. Aristor.

Conclusio affirmatiua.

Ratio conclusiois.

Confirmatio.

illius populi, & adnectendas calumnias, proliis posita fuit. Nam si naturalem rationem consulueris, satis est vt qui occidit, occidatur. Quin vero occidere procurauit, non subinde, nisi summo iure, reus sit tanti criminis, eo præsertim quod tunc absterrentur homines plus nimio ab accusandi munere. Et ideo (vt habetur Instit. de iniur. §. poena,) iam de defuetudine fere abiit illa poena, retinetur tamen quadamtenus in prouincijs bene moratis, potissimum in teste qui studio falsum testimonium dicit in causa capitali. Idque maxime quando illius causa innocens interficitur, tamen debeant etiam extra talem casum iniqui delatores acri supplicio plecti.

Ad primam arg. Ad primum ergo argumentum respondet Arist. loco citato 5. Ethic. quod reparationem, quam nos talionem appellamus, non semper iustitia deposcit, quoniam valde differt vtrum quis voluntarie quid faciat, an inuoluntarie. Spontaneus enim iniurius dignus est poena, qui autem inuoluntarie lædit, dignus est venia. Et ideo qui inculpata ignorantia cum quem in crimine esse putat, reum facit, non habetur iure calumniator, vt supra diximus,

Ad secundam. atque adeo neque talione dignus. Ad secundum respondetur, quod calumniator & in reum & in reipublicam iniurius est. Vnde Deuter. 19. vtrumque præcipiebatur, scilicet prius, vt qui falsum testimonium contra fratrem dixisset, id pateretur quod fratri cogitabat facere, scilicet propter iniuriam illi factam. Posterius, vt tales de medio populi auferrentur, vt audientes timorē haberent. Vbi insinabatur iniuria que reipublice irrogatur. Ex quo fit vt quando accusatus poenam talionis non remiserit, nequeat princeps illam remittere, vt superiore questione dictum est. Postquam vero illam ignouerit, tunc in arbitrio princeps restabit illam relaxare. Ad tertium respondetur, quod poenam talionis incurrit acuator, ratione nocenti quod proximo intentabat, infamiam autem propter culpam. Et ideo infamiam remittere ad principem pertinet, vt si sit ecclesiastica, ad Papam, vt ait Gratian. 2. q. 3. can. Euthemium vbi respondet ad illa verba Gelasij. Quamquam animas per poenitentiam saluare possumus, infamiam tamen abolere non possumus, di-

Ad tertium.

cent illud intelligi de infamia per ciuilem iudicem irrogata, que ad Papam non pertinet. Quamuis fortasse perspicaciter sit sensus de infamia facti. Nam labem illam, que turpi facto annexa est, nemo delere potest, cum ad præteritum non sit potentia.

QVÆSTIO VI.

DE IUSTITIA REI.

ARTICVLVS I.

Vtrum accusatio liceat veritatem negare.



Eritia persona in iudicio est reus, de quo quatuor disputanda sunt, scilicet an liceat ei veritatem negare, calumnijs se defendere, iudicium declinare, aut post condemnationem supplicio se capitali subducere. Erarguitur a parte affirmatiua prima quaestio illa celebri auctoritate Chrysostomi, que refertur de poenitentia, distincte. can. qui aliquando. Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses. Sic enim legendum est, non excuses, vt corrupta licera habet. Qui autem veritatem proprii criminis retereget, seipsum proderet, ergo licitum est ei suam celare crimen. Secundo: Mendacium officiosum, scilicet cum quis mentitur vj alteri proderet, nemini nocens non est peccatum mortale, qui autem mentitur vt se à morte protegat, officiosè mentitur, ergo citra noxam mortalem id licet. Tertio. Nullum est peccatum mortale, nisi sit contra charitatem, qui autem mendacio sibi mortem cauet neque contra charitatem Dei facit, neque contra proximum immo secundum charitatem qua se diligit, ergo id non est lethale piaculum. In contrarium est illud Iosue 7. quod dux ille dixit ad Acham, Filium da gloriam Domino Deo Israel, & consistere, & indica mihi quid fecerit, ne abscondas, dare autem gloriam Deo tenetur quisque secundum illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in gloriam Dei facite.

Ad quaestionem hanc tribus conclusionibus respondetur. Prima. Quicumque legitime de proprio crimine interrogatur,